Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2141
Quelle:
Copyright:

tinalis ſeu Lectionarii *B. Mariae* Codice praeced. relati, illi, quoad omnia, conforme, niſi quod Indicem alphabeticum habet, qui partim ante, partim poſt Opus recentius additus eſt. Ne prorſus ἀσυμβόλος ab hac Compilatione diſcedam, vide, quo pia ſimplicitas deducere poſſit. *Fol.* 61. in *Lect.* 3. *Feriae IV. poſt Dom. Palmar.* inducitur Mater Chriſti mortem Filii plangens, et inter alia exclamans: *Nichil aliud reſtat, niſi ut me interficiam.* Advertit id quendam Lectorum, qui in margine monet: *Hic dic caute de interfectione marie.* In Textu nihilominus praevie *Auguſtinus* citatur, quod ego Librarii lapſum habeo; nam paullo ſupra *Auguſtinum* Lectiones ſumtae dicuntur *Ex planctu Anſhelmi*, ſpurio videlicet illo Dialogo, quem quidem etiam *Gerberonius* in *Adpend. Opp. Anſelmi* repraeſentavit, immunem tamen ab illa blaſphemia.

DCCCXCIII.

R. 1413 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 36. 8. ad imitationem characteris *Aldini*, quem *italicum*, ſeu *curſivum* dicimus, ſummo nitore exaratus, marginibus omnibus auro, coloribusque auro punctatis ad eum modum jucundiſſime lemniſcatus, qui hodie *Arabesque* audit, Precatorius eſt, ita inſcriptus: ΧΡΙΣΤΈ ΒΟΗΘΗΣΟΝ. *Officium Beatæ Mariæ Virginis Secundum Conſuetudinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ A Purificatione Vſque Ad Adventum.* In hac et pluribus aliis Inſcriptionibus non niſi aureae et miniatae literae alternant. A *fol.* 33. ſuccedunt *Officium S. Crucis* et *S. Spiritus* eodem prorſus cultu. Ad quem porro Κειμήλιον iſtud referendum ſit, prima *Officii* Litera D docet. Occupat ejus aream tiara pontificia et clavibus S. *Petri* ſuperimpoſitis Inſigne Familiae *Mediceae*, circumque illud legas: *Pius IIII. Pont. Max. Anno* II. 1561. Idem nomen *foll.* 1. 8. et 13. inter ornamenta marginum comparet. Habemus igitur *Job. Angelum* e *Medicis Mediolanenſibus* ad Papatum evectum exeunte anno 1559. Synodi *Tridentinae* finitorem et defunctum anno 1565. An vero *Officium* noſtrum in uſus proprios ſcribi fecerit, an cuidam ex auguſta Domo noſtra donum dederit, nihil adnotatum reperio, nec conjectare aliquatenus poſſum.

DCCCXCIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2180 XIV. Folior. 218. f. forma paene quadra, charactere atro, luculento ſplendide exaratus, coloribus et initiorum picturis decoratus exhibet I. *Martyrologium Uſuardi* Monachi S. *Germani de Pratis* ab eo Sec. IX. dicatum *Carolo Calvo*, cujus optimas Editiones habemus *J. B. Sollerii* S. J. et *Jac. Bullarti* O. S. B. Exordium nobis non a Vigilia Natalis Domini, ſed a kal. Januariis ducitur, ita: *Cir-*